

LIBER QVARTVS

MOTVS LVNÆ, ET PER ECLY-
pſes & per instrumenti mediū deprehensionem, ſuæq; mo-
tus diuerſam uariationem demonſtrando declarat.

PROPOSITIO PRIMA.



VERVM LOCVM LVNÆ IN
ecliptica certius per Eclypſes lunares q̄ in-
ſtrumēta uel conſiderationes reſpectu ſtel-
larum fixarum aut eclypſes ſolares depra-
hendi.

¶ Patet quia ſemidiametrum magnitudinis ter-
ræ ſenſibilis eſt quantitatis reſpectu diſtantiæ Lu-
næ a terra. Ideoq; diuerſitas aſpectus in Luna contingit, quæ impedimen-
to eſt, ut uerus eius locus per instrumenta uel conſiderationes reſpectu lo-
corum ſtellarum fixarum aut eclypſes Solares certus depraehendi nō ſem-
per poſſit. In eclypſibus uero lunaribus, cum facile per principiū & finem
mediū eclypſis cognoscatur, in medio uero Luna ſit diametraliter oppo-
ſita, ex loco Solis per priora cognito certus habebitur Lunæ locus.

PROPOSITIO II.

Reditiones Lunæ in circulo diuerſitatis ſuæ, & in orbe ſi-
gnorum atq; latitudine diuerſas uideri.

¶ Videmus enim eam ſub una & eadem parte zodiaci nunc tarde, nūc
uelociter, nunc motu mediocri moueri, nec eandē ſemper ſub eadem parte
zodiaci ſeruare latitudinē. Quæ ſatis nobis ſignificāt, quōd reuerſio eius in
circulo diuerſitatis motus æqualis eſt alia a reuerſione ipſius in orbe ſigno-
rum. Et etiam quōd nodus orbis eius decliuis moueatur in ecliptica, hinc
& reditiones in latitudine diuerſas eſſe.

PROPOSITIO III.

Qua uia maiores noſtri in circulo diuerſitatis atq; in orbe
ſignorum reditiones Lunæ depraehenderunt.

¶ Quia uiderūt motū Lunæ apparente diuerſum eſſe, nūc uelocem, nūc
tardū, nunc mediocrē: Oportuit in circulo diuerſitatis ſuæ quatuor puncta
eſſe, in quorū uno contingat motus Lunæ uelociſſimus, & in huius oppoſito
tardiſſimus, & in duobus medijs mediocris. Quæ quidem puncta circuli
in quatuor portiones diuidunt. In prima portione motus Lunæ eſt a motu
uelociſſimo eius ad mediū primū, & eſt uelox diminutus. In ſecunda eſt me-
dius diminutus. In tertia tardus additus. In quarta mediocris additus. Aſpi-
cientes autē quotidie ad motū Lunę ſcire poterūt, in qua portione circuli ſui
Luna moretur. Elegerūt ergo duas eclypſes lunares, in quarū una quaq; Lu-
na in eadem portione circuli ſuę diuerſitates eadem motus uelocitate mota
eſſet, unde coniecturam fecerūt, Lunam in ſecunda eclypſi rediſſe ad pun-
ctum ſui circuli, in quo fuit in prima eclypſi, & quōd interuallum temporis
inter ambas contineret integras reuolutiones in circulo ſuę diuerſitatis.